



## CAPUT SEXTUM

De Unitate & Pluralitate Ordinis  
Minorum.

Num. 1. Ordines Religiosorum diversimodo distinguuntur: 1<sup>o</sup> à *Regula*, qualiter quatuor Ordines S. Basillii, S. Augustini, S. Benedicti, & S. Francisci à quatuor primariis Regulis dictorum Sanctorum Patriarcharum in Ecclesia approbatis ab invicem velut Cardinaliter distinguuntur. 2<sup>o</sup> à *professionis modo*, & *obligatoriis*: etiam si enim commune sit omnibus eandem Regulam profitentibus essentialia vota Regulæ votere; alii tamen quartum addunt votum: alii in præceptis obligationem per privilegia à Pontificibus impetrata diminuunt, vel augent; unde fit, ut Ordines sub eadem Regula militantes, non Regulâ, sed modis Professionis distinguantur. 3<sup>o</sup> ab *hierarchia*, vel *regimine hierarchico*: quo fit, ut congregations sub eadem Regula, eisdemque obligacionibus religiosæ professionis domino servientes, distinguantur ratione superiorum diverlorum, aut diversi regiminis. 4<sup>o</sup> à *constitutionibus diversis*, *strictioribus*, vel *minus strictis*: ratione quarum diversos habitus ferunt, diversis utuntur austeritatibus, ut patet de Ordinibus S. Benedicti, S. Bernardi &c. Et hæc omnia suprà dicta

dicta exemplificari possunt in Religionibus, quas modò reformatas Orbis colit, & in honore habet. Quibus ità prænotatis.

Num. 2. Dicendum imo: Quòd Fratres Minores Observantes, & Capucini convenient in Regula eâdem, & eâdem omnino professione, sub iisdem obligatoriis; distinguuntur verò hierarchiâ, sive regimine hierarchico, solisque quibusdam modis accidentalibus, ac constitutionibus. Nam forma professionis tam Observantium, quam Capucinorum est unica, ab Observantibus nunquam variata, & à Capucinis à suæ Reformationis exordio retenta, & continua, scilicet hæc absoluta, & in nullo restricta: *Ego F. N. promitto, & rovo Deo omnipotenti &c. toto tempore vita mea servare Regulam Fratrum Minorum, per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.* Unde memorati Ordines, Observantium scilicet, & Capucinorum, sub unica Religionis specie, accidentaliter, materialiter, & solo numero differunt: quatenus duo à se invicem independentia capita (ne corpus biceps sit) duo sub se corpora mystica habere exigunt. Contra suprà visam autem professionis formam, ipsum Corpus Observantinum nulla privilegia admittit; imo si quæ fortè quovis modo irrepsissent, ut subscriptitia semper sunt declarata à Capitulis Generalibus, atque à Summis Pontificibus cassata

& annullata ; prout visum est suprà cap. 2.  
num. 31. & 32.

Num. 3. Dicendum 2dò : Familiam moder-  
norum Conventualium essentialiter ac specifici-  
cè distingui à duabus aliis Familias Observan-  
tium & Capucinorum , quæ solo , ut jam dixi ,  
accidente distinguuntur , ac numero , sicut duo  
individua moralia sub eadem specie . Ratio est :  
quia specifica Religionum differentia sumitur  
à specifica , & essentiali differentia professio-  
nis , atqui professio modernorum PP. Conven-  
tualium est specificè , & essentialiter diversa à  
professione Observantium & Capucinorum ;  
quod apertissimè demonstratur : nam professio  
Observantium & Capucinorum non solum ob-  
ligat ad tria vota essentialia Regulæ , sed etiam  
ex vi voti , sub peccato mortali ad 7. præcepta  
formalia , 2. inhibitoria , 4. vim præcepti habentia ,  
& 12. æquipollentia , prout ea sumini Pontifices  
declararunt , & enumerarunt ; Atqui moderni  
Conventuales revera , & ex vi professionis non  
obligantur ad ista , ergo estalia & distincta pro-  
fessio , aliam , & distinctam inducens obligatio-  
nem , Religionem specie diversificantem .

Num. 4. Pro quo adhuc facit , quod non  
habere proprium in Communi , non uti pecu-  
niā , & cætera per superiora præcepta regulæ  
injuncta , sint principale distinctivum Regulæ ,  
seu Religionis Fratrum Minorum ab aliis in  
Ecclesia Dei laudatis Religionibus ; unde etiam

Vincen-

Vincentius von Berg Conventualis in suo *Ratiocinio Juventutis Franciscanae* sat bene sic dicit: *Cum Fratres Minores Conventuales non profiteantur Regulam, nisi secundum declarationes, & privilegia; eo ipso etiam patet, eos auctoritate summorum Pontificum esse redutos ad Communem modum vivendi aliorum Religiosorum, quae ad vota essentialia, & alia multa.*

Diceret fortè aliquis, obligationem illam legitimè, & ex bono motivo esse sublatam; Fatores: sed addo, quod Pontifex obligationem mutans, professionem mutare censeatur, qui sub eisdem Regula centum specificè distinctas Religiones multiplicare potest: cum Religio sit ens morale, sicut & ipsa professio. Nec à Regula Religiones accipiunt speciem, sed genus; Speciem autem à professionis modo, nisi velis Canonicos Regulares Præmonstratenses ejusdem Religionis esse cum Eremitis S. Augustini; quod nec ipsi admittent, nec sanus dicet.

Num. 5. Dicendum nihilominus 3tiò, quod, sicut Observantes, & Capucini in specie, sicut cum ipsa PP. Conventionalium Familia in uno genere proximo convenient; non tamen inter illos datur una hierarchia Minoritica. Ratio mihi petitur ex Regulæ Minorum unitate, quæ genericæ est, quâmque omnes Fratres Minores respiciunt; sicut Augustinianæ omnes, quantumcunque ratione diverse professionis morali specie differentes, regulam S. Augustini colunt, ab

eaque accipiunt denominationem. Ultimum, quod est contra M. Verinum, etiam patet: nam triplicitas independentis capitatis, hierarchie unitatem non permittit; unde quocunque tempore in Ecclesia Christi fuerunt duo Papæ, scissa fuit pro eodem tempore unitas: cum hac equidem differentia, quod Ecclesia suum schisma ægrè tulerit, Minoritani autem Ordinis divisionem approbaverit.

Num. 6. M. Verinus, ultimam mei asserti partem rejicit, dum pag. 5. sui *Discursus Pol.* post premissa septem notamina, ad subsequentem assertionem suam parum, vel nihil facientia, sic assertit: *Sicut ex seculari & Regulari Clerico Ecclesiastica Hierarchia; ita ex Conventualium, Observantium, & Capucinorum Familia proprie, ac bierarchice componitur modernus Ordo Minorum.* Pro hujus probatione triplici, tres ibidem adducit authoritates, quæ quidem indicant, Ordinem Minorum genericè, & in tota sua latitudine sumptum, tres modò sub se continere distinctas Familias, quod nemo negat; unitatem vero hierarchicam præsertim propriæ talem, nec nominant, nec indicant. Unde contra assertum M. Verini satis paradoxum, dico, quod Hierarchia non sit sine Hierarcha, qui ordinata sacerorum administrationi (qualiter Dionysius Lib. de Hierat. Eccl. Hierarchiam describit) à capite visibiliter præest; tres autem Familiae Minoritanae ita tribus à se invicem independentibus

Capiti-

Capitibus subsunt, ut in tertio communī Capitulo Minoritico, quod in omnes suā Jurisdictionē influeret, non convenient.

Num. 7. Si autem dixeris, Papam esse Caput: loqueris de universali Hierarchia Ecclesiastica, non autem de quæstionata particulari, & Minoritana, ut tali: nam quæcunque in Ecclesia Dei particulares, seu partiales Hierarchiæ, supremum hunc visibilem Hierarchiam æqualiter respiciunt: & stante tali respectu, inconvenienter tres Minoritanæ Familiaæ in Ordine ad propriam suam, seu Minoritanam Hierarchiam constituendam, assimilantur Clero sacerdotali, & regulari, qui Ecclesiasticam Hierarchiam conficiunt. Cùm dictæ tres Minoritanæ Familiaæ ut partes jam intelligantur sub Clero regulari contentæ; sicque idem non est quodammodo sibi ipsi assimilandum, in ordine ad idem, scilicet ad Hierarchiam universalem. Imò, ut brevius loquar: assignet M. Verinus unum Hierarcham Minoritanum, qui ita in tres illas Familias influit, veluti cum proportione Papa influxum exercet in sacerdotalem, & regularem Clerum, & concedemus, ita ex Conventualium, Observantium & Capucinorum Familiaõ propriè & hierarchicè componi modernum Ordinem Minorum, sicut ex Clero sacerdotali, & regulari Ecclesiastica Hierarchia consurgit.

Num. 8. Quartam probam sui asserti, dicit M. Verinus sumendam ex debilitate meorum at-

gumentorum, quibus ego Ordinem Minorum solis meis Observantibus vendicare, & ab eo propriè & simpliciter dicto, Conventuales & Capucinos excludere, irrito labore conarer. Ast optarem ego, ut noster M. Verinus ex suo Onomastico Etymologico Barii, Ita dildicisset Etymologiam Hierarchia, sicut in superiori capite dicerat significationem istius nominis *Satan*; sic utique per notabilem partem sui Discursus Pollem. non ita secum ferret falsitatem suppositi; unde fit, ut saepe, quasi in infinitum pugnet sine reali adversario: vel verius adversarium ubi finit, ut pugnarum amans, ad votum proprium pugnare possit. Ubi queso unquam dixi, vel me cogitare aliqualiter indicavi, quod Conventuales & Capucini non spectent ad Ordinem Minorum genericè, & in moderna sua latitudine sumptum? an non ex professo in *Dialego Cont.* pag. 3. ita de hac materia scripsi?

Num. 9. „ Adverte, quod ad Constitutio-  
„ nem Religiosi Ordinis tria concurrant, & ad  
„ ejus perfectam unitatem etiam requirantur:  
„ videlicet *unitas Regula*, quam profitentur:  
„ *unitas formulae professionis*, & ejusdem *Capitis*  
„ *unitas*. Ex quibus irrefragabiliter sequitur,  
„ quod tres laudati S. Francisci Ordines, Ob-  
„ servantium, Conventualium, & Capucino-  
„ rum, eatenus constituant unum Ordinem,  
„ quatenus per unicam, eandemque Regulam  
„ vita eorum noscitur regulanda. Unde & ex-

„ tra

„ tra dubium manere debet, omnes esse veros  
 „ & genuinos S. Francisci Filios, & ejusdem  
 „ hæredes paternæ hæreditatis. Hac unione  
 „ magnâ, equidem alia major est: quâ Capu-  
 „ cini, & Observantes nedum in ejusdem Pa-  
 „ triarchæ & Regulæ, verùm etiam in ejusdem  
 „ Regulæ una eadémque nunquam variaræ pro-  
 „ fessionis formula, protestatis quibuscunque  
 „ talis Regulæ dispensationibus conveniunt.  
 „ Maxima autem foret, si cum his omnibus  
 „ convenirent etiam in ejusdem Capitis identi-  
 „ ca unitate; quæ tamen convenientia, Deo  
 „ (ut supra ad Lectorem monui) sic suavitet  
 „ ordinante, inter omnes ejusdem Regulæ pro-  
 „ fessores amplius non datur, saltè in actu, &  
 „ perfecta. Ex quibus liquet, à quo ego Con-  
 „ ventuales, Capucinósque excluderim, seu à  
 „ quo potius ipfi sese voluerunt exclusos.

Num. 10. Vide proinde etiam in hisce mi M.  
 Verine! quām in æquivoco labores: dum,  
 quod ego nego de Hierarchiâ, seu de Ordine illo  
 hierarchico, à quo alii se in novam, ac particu-  
 larem hierarchiam divisérunt, tu intelligis de  
 Ordine Minorum in tota sua latitudine sumpto.  
 Et quidem seductus es à te ipso, eò quòd nolis  
 intelligere Etymologiam *Hierarchia*, quæ si  
 universalis est, unum exigit Hierarcham supre-  
 mum & universalem; si partialis: Hierarchi-  
 cum quoque requirit sui Corporis Caput, supre-  
 mo illi (ut omnes in Christo convenient) nihilo-

mīnūs subordinatum. Operam similiter perde-  
rem, si ad tuas resolutiones objectionum, quas  
tibi ex me facis, & solvere te putas ea, quæ ple-  
rumque non tangis, me fusiūs impenderem;  
unde nonnullas solum ex illis, quæ adhuc aliquid  
dicere videntur, postea tangam. Ut autem  
meam mentem in hac materia melius inspicias,  
id, quod nondum aliàs dixi, & ad quod di-  
cendum metrahis, hic dico, esto forte illi non  
confendas. Unde

Num. 11. Dicendum 4to, Quòd ex tribus  
Minoritanis Familiis nulla ita de Jure, & facto  
simpliciter sive omni alio addito, seu veluti An-  
tonomasticè dici valeat *Ordo Minorum*, quam  
Observantina: quatenus hæc originariam Mino-  
ritanæ professionis formam nunquam dimisit,  
aut variavit, uti illa Conventualium; neque ab  
antiqua Hierarchia Minoritica unquam se sepa-  
ravit, prout fecit Capucinorum Familia. Et  
licet Observantina cognomen inchoativè accep-  
erit à Concilio Constantiensi, & completivè vi uni-  
onis Leonis X.; quoad rem tamen per nomen signifi-  
caram est Regule Minoritanæ coæva: atque (uti  
aliàs ad oculum probabo) non est Filia Conven-  
tualium; cùm potius ècontra Conventualitas ex  
Observantorum à Regulari Observantia defe-  
ctu, primique servoris remissione fuerit primi-  
tus generata, ac tandem per Leonem X. in par-  
ticularem Ordinem mitigatum, facta à mitigari  
nolentibus separatione, erecta; quæ aliàs fuerat

sub

sub unitate Capitis cum Observantibus permixta,  
præfertim cum *Amadeis*, *Clarenis*, *Coletanis*,  
*de S. Evangelio*, seu *Caputio*, ceterisque Re-  
formatis sub Ministris. Ex quibus omnibus  
simil sumptis, majorēmque partem Ordinis unā  
cum Observantibus *de Familia* constituentibus  
Leo X. unum Corpus Ordinis adunavit, quod,  
ad distinctionem Conventualium exclusorum,  
perpetuis futuris temporibus dicti decrevit, vel  
*Observantinum*, vel simplicitet *Ordo Minorum*,  
seu *S. Francisci*, prout videbimus. Et aliunde  
nomen *Observantinum*, suo tempore mitigatione-  
tionem nolentibus attributum, non minuit ra-  
tionem generis, seu significatum *Fratris Mino-*  
*ris*, cūm sit de quidditate ejus; sicut, dñm di-  
co: *animal virens*, ipsum additum animali, est  
de quidditate ejus; non sic tō *Mitigatus*, utpo-  
te, quod minuit significatum *Frattis Minoris*,  
super quo magis nos explicabimus suo loco.

Num. 12. Probatur assertum ex Jure statuto,  
nunquam revocato, sed adhuc in usu posito:  
quo ex inappellabili sedis Apostolicæ judicio,  
non obiter, non velut ex occasione, sed ut de  
principali assumpto eruitur, quinam in latitudi-  
ne Ordinis Minorum intelligentur, dum *Fra-*  
*tres Minores*, seu *Fratres Ordinis S. Francisci*  
simpliciter, & absque alio additamento nomi-  
nari contingit. Leo X. in celeberrima illa Bulla  
*unionis*, quæ incipit: *Hè & vos*, semper in suo  
robore conservata, volens Religionem S. Fran-  
cisci,

cisci, ad instantias Imperatoris, Regum &c, in Sancta unione, & omnimoda Regulæ puritate componere, anno 1517. de communii assensu omnium S. R. C. Cardinalium, cum dixisset in Bulle, *Sacram Minorum Fratrum Religionem à mari usque ad mare dilatatam &c. fuisse à Deo per S. Franciscum in Ecclesia plantatam &c.* in qua veluti in electavinea, enarrat, qualiter à S. Francisco usque ad suum tempus nunquam defuerint fideles cultores, zelatorésque Regulæ, qui illam custodirent, cadentem tenerent, quasi extinctam & languentem vivificarent, & finaliter lucos in illa suocidarent; ordinat, definit, & præcipit, ut habeat debet unum Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum, prout in Regula S. Francisci continetur. Quis autem, & qualis debeat esse iste Minister Generalis totius Ordinis Minorum, & sine ullo additamento, declarat immediatè, quod talis, ne Caput sit à suis membris disforme, vitam ducat reformatam, & pro Reformatis à communitate Reformatorum habebatur, & quod in ejus electione nullus, nisi Reformatus recente habere valeat. Ecce Conventuales ab hoc exclusos; Capucini nondum erant, nisi forte virtualiter.

Num. 13. Ecce patiter Religio Minorum simpliciter, & absque additamento, qualis esse definiatur à summo Pontifice; nempe Fratres Reformati, qui vivunt in omnimoda Regulæ puritate, sine ulla mitigatione, aut dispensatione

ne Pontificia. Ecce hujus Ordinis Minorum simpliciter sic dicti Caput, quale esse debeat: nempe Reformatus, absque ullo dispensativo privilegio in Regulæ præceptis. Post plura alia eodem modo stabilita, ad hujusmodi Fratrum Minorum appellationem deveniens, gravi sub præcepto, subiungit, ut hujusmodi Fratres, absque ullo privilegio, vel paupertatis mitigatione viventes, omissis ceteris agnominibus, *Fratres Minores*, seu *S. Francisci à se ipsis*, & ab omnibus aliis nominantur. Jamque paulò ante dixerat, quod, cum ex omib[us] Reformati[bus] Regulam S. Francisci pure, & absque ullo privilegio profitantibus unum Corpus Religionis antedictæ constituerit; ordinat & præcipit, ut omissa nominum diversitate, de casero *Fratres Minores S. Francisci Regularis Observantia*, vel simul, vel disjunctivè nominentur. Ecce non obiter, non ex occasione, non ex simplici narrativa, vel ex errore forsitan abbreviatoris, seu Typographi (prout hic & nunc, rarissimè tamen, PP. Conventuales sine addito Conventualium Fratres Minores nominantur) sed ex definitivo sedis Apostolicae judicio, quinam per Fratres Minores simpliciter dictos *autonomas* & veluti de principali denominato intelligi debeant, nempe Minores de Observantia. Sicque ex Definitione Pontificia, adeoque de Jure statuto idem est dicere *Fratres Minores*, vel *Fratres S. Francisci*, vel *Fratres Regularis Observantia*, seu *Observan-*

tes ; quod nomen significatum Fratris Minoris nec in aliquo minuit , nec limitat . Et quamvis variæ hujus Ordinis Reformationes , à variis personis resuscitatæ , & promotæ fuerint ; noluit tamen Leo X. variè ab illis denominari , ne Corpori unito unio & uniformitas denominationis deesset : forte etiam , ut ne in hoc quidem deficeret analogia cum Christi Ecclesia , cui S. Franciscus suum voluit ordinem conformatum ; & de qua S. Augustinus in Psal. 94. inquit : *Quer-quot gennaverunt , non Paulianos , aut Petrianos , sed Christianos nominaverunt , quia semen susci- verunt Fratri suo.* & Deut. 25. *sumus enim Chri- stiani , non Petriani :* & , si nati per Fratrem defuncti , tamen cognominati nomine defuncti .

Num. 14. Ne verò suspicio suborti posset , hisce in Pontificiis definitionibus etiam PP. Conventuales aliquo modo posse comprehendendi ; hoc ipsum Pontifex eadem in Bulla voluit exclusum , ubi dixit de *Fratribus Conventualibus* secundum privilegia viventibus , se per alias literas desuper edendas deliberaturum ; quod & fecit ex integro in Bulla *Concordia* , quæ incipit : *Omnipo- zens Deus &c.* modum vivendi , formam , & titulum novi Regiminis , & locum præcedentia post Observantes , aliisque plurima de ipsis , semper sub titulo Conventualium expreßè determinando . Hæc omnia semper in suo vigore authoritate Apostolicâ fuisse confirmata , non ignoramus , dum anno 1593 , & 1602. Patres

Con-

Conventuales contra praecedentiam Observantibus debitam litigantes, & ab anno 1625. usque ad 1631. contra Ministri Generalis totius Ordinis Minorum (ex Observantibus assumpti, & semper assumendi) amplissimum hunc titulum diuturnā, gravissimāque lite contendentes; his potissimum ex Bullis, his fundamentis condemnati ceciderunt à causa, prout cap. seq. adducam in terminis sententiam latam, ad videndum, quā illam M. Verinus reverentiā suscipiat, veluti circa Chymaram latam. Interim usque in hodiernum diem Minister Generalis totius Ordinis Minorum intelligitur ille, quem Corpus Observantinum sibi eligit in Hierarcham, ac S. Francisci legalem successorem; qui per Regulam debet esse unus, & unicus.

Num. 15. Dices imò cum Franchino Conventuali, quod Minores Conventuales in variis Bullis Pontificiis simpliciter nominentur Minores; imò & apud vulgum sub tali nomine veniant Conventuales. 2dō Cum R. P. Hierotheo, ejusque Modesto Verino, quod frequenter Pontifices, quin, & ipse Leo X. qui superius talem decisionem fecerat, Ministrum Observantium vocent Generalem, non totius Ordinis Minorum simpliciter, sed cum addito: *Regularis Observantia*. Imò, ut Inquit M. Verinus pag. 11. in ea ipsa Bulla decretali: *Ite & vos &c.* Leo X. prescribit: ut Observantes, qui tunc nomine variorum Reformatorum gaudebant, delinceps

*Fratres Minores S. Francisci, Regularis Observantia nuncuparentur.*

Num. 16. qz. Ad 1sum, à Franchino quidere unum & aliud exemplum adduci; ast in illis Papa nullibi loquitur definitivè; sed in sua narrativa solum { quæ ab aliorum expositione dependet, Generalem illorum exprimens, Conventionalium aguomen hic inde non expressit, qui tamen ex præcipuo, & totali Bulle assumpto sufficienter intelligebantur *Minores mitigati*, quod additum, sicut & tò *Conventionalium* in moderna acceptione minuit quidditatem generis, seu *Fratris Minoris*; sicut dum E. G. generi *animali*, additur tò *domesticum*, vel aliud. Secùs est, dum, ut suprà tetigimus, dicitur *Frater Minor Observans*, ubi tò *Observans* est de quidditate generis, seu *Fratris Minoris*, sicut vivens est de quidditate *animalis*. Alterum de opinione vulgi, si etiam ultrò concederem, quod non concedo (experiens ut plurimùm proclamante in *Contrarium*) ex Philosophis tamen responderem: *loquendum esse cum multis, sentendum cum paucis*; stante præsertim Definitione Apostolicâ superiùs adductâ.

Num. 17. qz. Ad 2dum: Si M. Verinus Bullam: *Ite & vos oculatiùs inspexisset, legisset quidem assertam nuncupationem fuisse præscriptam, sed cum addito: vel simili, id est, Fratres Minores Regularis Observantie, vel disjunctive, Id est, Fratres Minores, disjungendo,* seu

seu omittendo aliud additum ; ut patet ex propriis verbis Bullæ suprà n. 13. adducatis. Deinde licet Observantes saepe à Pontificibus scribantur Fratres Minores cum addito : *Regularis Observantia*; tamen vi definitionis Leoninæ sine addito scribi, & se ipsos scribere possuat; quod nec Conventualibus, nec Capucinis de Jure permittitur. Et hoc sufficit ad, intentum mei asserti. Ne autem quis existimet inscriptiones ejusmodi simpliciter tales Observantibus deficere: quatuor illis denominationibus Leonis X. & Clementis VII. quas pag. 10. contra me adfert M. Verinus. veluti ex milletis oppono sequentes à tempore Leonis X. & ab ante , in quibus vel in titulo , vel in corpore Minores de Observantia simpliciter , & sine addito à Pontificibus appellantur *Fratres Minores*, seu *Ordinis S. Francisci*.

Num. 18. Dilecto Filio Francisco Zeno, Ordinis *Fratrum Minorum* Professori , in viginti quinque Provinciis Citta - montanis, juxta dicti Ordinis morem numerandis nuntio , & Commissario nostro ... *Commissimus tibi* &c. dat. Romæ.. die 20. Septembris 1508. Julius II. Pontificatus sui Anno V. apud Wading. Tom. 8. ad Ann. 1508. n. 15.

*Exponi nobis* fecerunt dilecti Filii Minister & Vicarii Generales totius *Ordinis Fratrum Minorum*. Leo X. sub dat. Corneti die 15. Octobris 1516. Pontificatus sui, Anno 4. apud. Wading. suprà ad hunc annum.

P

Accepti,

*Accepimus nuper*, quòd aliás postquam per Capitulum Generale *Ordinis Fratrum Minorum* in domo S. Bonaventuræ Lugdunen. dicti Ordinis celebratum, in quo dilectus Filius noster Christophorus, tituli S. Mariæ de Ara - Cœli Presbyter Cardinalis, & Commissarius ab Apostolica autoritate deputatus, & *Minister Generalis* totius dicti *Ordinis* præsidebat - Leo X. subdat. Romæ die ultimâ Octobris 1519. apud Wading. ad istum annum, n. 10.

Idem Leo in Brevi : *Sacra Religionis puritatem* &c. die 14. Novembris 1518. & in alio : *Cùm sicut accepimus* &c. die 1. Julii 1518. Dilecto Filio Christophoro &c. *Ordinis Minorum Generali Ministro* &c.

Dilecto Filio Francisco Licheto Sacrae Theologiae Professori, & totius *Ordinis Minorum Generali Ministro* .... *Cùm sicut accepimus*, tu qui totius *Ordinis Minorum Minister Generalis* existis &c. Leo X. subdat. &c. die 21. Februarii 1520. apud Wading. ad istum ann. n. 22.

Dilecto Filio Francisco Licheto *Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum*, vel ejus Vicario Cismontano ... *Exponi nobis* &c. Leo X. subdat. Romæ die 19. Julii 1520. Wading.

*Universis & singulis* &c. Revertens in Orientem, atque ad Hierosolymæ partes Dilectus Filius Ludovicus Heningus Prutenus, *Ordinis Minorum*, Sacrae Theologiae Professor &c. Leo X. subdat. Romæ die 20. Januarii 1521. Wading.

Roma-

*Romani Pontificis providentia &c.* Exponitur pro parte Dilecti Filii Francisci de Angelis, *Ministri Generalis Ordinis Minorum*, quod &c. Adrianus VI. sub dat. Romæ die 1. Decembris 1523. Wading. ad istum ann. n. 10. Et simili-  
ter in alia Litera Apostolica ejusdem Adriani ad eundem loc. cit. n. 12.

Dilecto Filio Fratri Francisco Angelorum *Ordinis S. Francisci Ministro Generali*. . . . *Etsi satis neverimus &c.* Clemens VII. sub dat. Romæ die 27. Martii, Pontificatus sui anno 4. Wading. n. 3.

Dilecto Filio Antonio de Calcena *totius Ordinis Minorum Generali Vicario*; *Cum nuper &c.* Clemens VII. sub dat. Viterbil 19. Junii 1528. Wading. n. 4.

Dilecto Filio Paulo de Parma, *Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum* . . . *Accepimus*, quod alias postquam felicis recordationis Leo Papa X. prædecessor noster per suas literas, ut quolibet triennio in Festo Penthecostes *Minister Generalis Fratrum Minorum Capitulum Generale* dicti *Ordinis celebrare &c.* Clemens VII. sub dat. Romæ 15. Decembris 1530. Wading. n. 7.

*Salvatoris Domini nostri* . . . sancè sicut exhibita nobis nuper pro parte Dilecti Filii Bonaventuræ Dubien, *Ordinis Fratrum Minorum* professoris petitio continebat &c. Clemens VII. sub dat. Bononiæ 25. Februarii 1130. imò ter in isto unicò Brevi per Ordinem Minorum Observantes intelligit.

Dilecto Filio Fratri Leonardo Publicio *totius Ordinis Minorum Vicario Generali...* Cùm sicut accepimus &c. Clemens VII. sub dat. Romæ 10. Maij 1533. Wading. ad istum ann. n. 12.

Dilecto Filio Vincentio Lunello, *totius Ordinis Minorum Generali Ministro...* Cupientes &c. Paulus III. sub dat. Romæ 24. Augusti 1539. Wading. n. 13.

Dilecto Filio Vincentio Lunello, *totius Ordinis Minorum Generali Ministro...* Cùm totus Ordo &c. Paulus III. sub dat. Romæ 10. Aprilis 1540. Wading. n. 16. ad istum ann.

Dilectis Filiis Generali, ac universis Provincialibus Ministeris *Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci* nunc, & pro tempore existentibus... *Quia nuper &c.* Leo X. sub dat. Romæ 10. Februarii 1519. Wading. Tom. 8. in Regesto Bull. Leonis X. Bullâ 58.

Dilecto Filio Francisco Angelorum, *totius Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro...* Dudum siquidem &c. Clemens VII. sub dat. Romæ 16. Aprilis 1526. Wading. in Regest. Bull. Clem. VII. Bullâ 17.

*Alia ad Nos &c.* ... Ad quæ extra Regnum Franciæ peragenda cogebantur Dilecti Filii *Ordinis S. Francisci* Regni prædicti &c. Urbanus VIII. sub dat. Romæ 5. Junii 1638. apud Chronologiam Seraph. Ord. P. Julii de Venetiis pag. 4.

*Inter ceteras &c.,...* Cùm itaque, sicut accepi-

cepimus, in *Ordine Fratrum Minorum S. Francisci* introductus fuerit &c. Urbanus VIII. sub dat. Romæ die 23. Julii 1639. apud eundem pag. 16.

*Onerosa Pastoralis &c. ...* Quod deficien-  
bus in Definitoriis omnium Provinciarum ultra-  
montanæ Familia Ordinis Fratrum Minorum  
*S. Francisci*, qui Minister Generali ejusdem Or-  
dinis subjiciuntur &c. Urbanus VIII. sub dat.  
Romæ 23. Julii 1639. apud eundem pag. 17.

Cum sicut Nobis exponi fecit Dilectus Filius  
Michaël Angelus Sambuca Ordinis Fratrum  
Minorum S. Francisci Minister Generalis, in  
Capitulo ejusdem Ordinis novissimè Toleti ce-  
lebrato &c. Alexander VII. sub dat. Romæ 11.  
Jun. 1659.

*Ad ea &c. Omnibus & singulis... Obe-*  
dientiæ seu directioni Ministri Generalis Mino-  
rum S. Francisci, nunc & pro tempore subjec-  
&c. Innocentius XI. sub dat. Romæ 6. No-  
vembris 1686. apud eundem suprà pag. 213.

*Christi fidelium &c.* Cum enim aliqui &c.  
ex quibus in Ordine Minorum graves &c. Inno-  
centius XII. sub dat. Romæ 1693. apud eun-  
dem pag. 247.

Num. 19. Omittendo plurima alia ad hoc  
propositum facientia, quorum fertè prolixitas  
gravaret Lectorem, solum hic adhuc adjecero  
acta Capituli nostri Generalis Romæ in Conventu  
Ara - cciliano anno 1723. celebrati, descripta à

Doctissimo Calamo Eminentissimi Vincentii Petra pro tunc Congregationis Episcoporum, & Regularium Secretario, & non longè post S. R. E. Cardinali. In hoc Capitulo dignabatur præsidere præfatus Innocentius XIII. postquam illud per proprias literas suas Apostolicas convocaverat. Multa ibi acta fuerunt in praesentia istius Papæ à Congregatione Fratrum Vocalium, qui militabant sub regulari Observantia, tanquam ibidem representante totum Ordinem Minorum; quibus omissis adducam solummodò decretum electionis in isthoc Capitulo præsente, ac in persona Præside nte Pontifice, quod per ipsius mandatum fuit sequentis tenoris:

Num. 20. Jubente Sanctissimo Domino nostro Papâ Innocentio XIII. præsente, ac Præsidente in hoc Capitulo Generali *totius Ordinis Fratrum Minorum*, hodie celebrato, assistentibus Sacrae Romanae Ecclesiæ Cardinalibus: Paulutio Episcopo Albanensi, Congregationis Episcoporum, & Regularium Praefecto; Corsino ejusdem Ordinis apud Sanctam sedem Protectore; Spinola S. Agnetis nuncupato, Secretario Statûs; & de Comitibus, Sanctissimi Domini nostri secundum carnem Germano Fratre, specialiter à sua Sanctitate Disquisitoribus electis promulgatur electio Ministri Generalis, ut infrà. Hæc est electio Ministri Generalis *totius Ordinis S. Francisci* Canonice celebrata &c. Methodus Capituli Generalis *Ordinis Minorum S. Francisci*, habiti

habiti in Cœnobio Ara - cœlitano Romæ 1723.

Act. pag. 70.

Num. 21. Neque hic dixeris, Corpus Observantinum, quod tempore Leonis X. ita maiorem partem Ordinis dividendi constituebat, ut portio Conventualium in unica solùm tribu respectu quatuor vel quinque tribuum Reformatorum consisteret; prærogativam illam *Ordinis Minorum* accepisse per modum privilegii; quia Papa hoc ipsum non tam dabat, quam declarabat, quodque majori, & sanctori Ordinis parti, ex æquo competebat, pro futuris perpetuis temporibus esse, ac esse debere mandabat. Pro quo patiatur benevolus Lector, ut nonnullas adhuc inscriptiones adducam, ex quibus paret, Observantes, & Reformatos etiam diu ante Leonem X. simpliciter fuisse dictos *Frates Minorres*.

Num. 22. Dilecto Filio Jacobo de Marchia, *Ordinis Fratrum Minorum* professori, in Regno Hungariae, ac Austriae partibus &c. Inquisitori Hæreticæ pravitatis, salutem &c. *Licet ubilibet &c.* dat. Bononiæ anno 1436. 11. Kal. Septembris. Eugenius IV. Wading. ad illum ann. n. 2. Similis inscriptionis idem Papa Eugenius ad eundem S. Jacobum de Marchia dedit anno 1438. die 14. Aprilis. & eodem anno Kalend. Decembris.

Dilecto Filio Gandulpho de Regno Siciliæ, *Ordinis Fratrum Minorum* Professori in Con-

ventu montis Sion , & aliis locis terræ Sanctæ, ac totius Siriae Guadiano salutem &c. *Exigunt Religiosis zelus & alia &c.* dat. Ferrariæ 1438. 18. Kalend. Aprilis. Eugenius IV.

Dilecto Filio Alberto de Sartiano Ordinis Minorum in partibus Orientalibus Indiæ, Aethiopiarum, & Jerusalem Commissario nostro &c. *Dum onus &c.* dat. Florentiæ 1439. 2. Kal. Septembris, Eugenius IV.

Num. 23. Ratione illius Alberti de Sartiano h[ic] intercessione contingentiam, ex qua pro sequentia questionis puncto colligatur. Observantes, sicut nunquam, sic nec tunc temporis fuisse ab Ordine separatos, prout M. Verinus quasi ubique ad similitudinem separationis Capucinorum prætendit; sed diversum solummodo habuisse modum regimini, & sub unitate Capitis constituisse seniorum Ordinis patrem, esto ex Conventualibus, seu ex parte Ordinis relaxationem amante consueverint tunc temporis eligi Ordinis Generales. Narrat namque author *Firmamentorum trium Ordinum*, qui non stetit à parte Observantium sub Vicariis, sed erat ex Reformatis sub Ministeriis: „ Quodd trigesimus secundus Generalis Minister, qui Fratri Guillermo de Calali successit, fuerit Antonius de Rusconibus, qui in Capitulo Generali celebrato tempore Eugenii IV. electus fuit. In cuius electione fuit maxima discordia; quia quidam F. Albertum de Sartiano, qui erat de Obter-

„ Observantia, volebant eligere. Sed tandem  
 „ consensu omnium decretum fuit, ut, quem-  
 „ cunque eligeret F. Bernardinus de Senis (qui  
 „ jam ob famam suæ Sanctitatis, & gratiam  
 „ prædicandi multum reputatus erat, & tunc  
 „ præsens ibidem Minister terræ Sanctæ fuit)  
 „ ille pacificus Minister Generalis esset. Qui  
 „ Sanctus Pater, factâ oratione, Domino re-  
 „ velante, cognovit, nondum expediens esse  
 „ Observantiae (adhucdum debili in numero  
 „ Conventuum, & Frattum, qui respectivè  
 „ adhuc pauci erant) ut Generalis de eorum Ob-  
 „ servantia haberetur, sed aliis mediis, &  
 „ qui magis timeretur à Conventualibus. Et  
 „ tunc dictus Sanctus non elegit dictum Fratrem  
 „ Albertum de Observantia, sed dictum Magi-  
 „ strum Antonium de Rusconibus, omnis ho-  
 „ nestatis & Observantiae Zelatorem: propter  
 „ quod dictus Sanctus à quibusdam de Obser-  
 „ vantibus, sive de *Familia* contradictionem  
 „ passus est. Ità *Firmamenta* supra cit. part. I.  
 fol. 34. & 35. Ex quibus patet, quod Obser-  
 vans, seu de *Familia* eligi de Jure potuisse, sed  
 electus non est, quia nondum expediens erat;  
 reservabaturque hoc Deo sic disponente, usque  
 ad tempus Leonis X. quo nedium eligi ex dispo-  
 sitione Pontificia debeat Observans, sed & ipsi  
 non Observantes, inhabiles sunt declarati ad  
 talem electionem tam activam, quam passivam.  
 Nunc ad priora.

Num. 24. Dilecto Filio Jacobo de Monte  
Brandono Provinciae Marchiaæ Anconitanæ Or-  
dinis Minorum &c. Illius summi Pastoris &c.  
dat. Florentiæ 4to idus Junii 1441. Euge-  
nius IV.

Dilecto Filio F. Alberto de Sartiano Ordinis  
Minorum Provinciae S. Antonii Ministro salu-  
tem &c. Meruit ardens &c. dat. Florentiæ  
1442. 16. Kal. Augusti. Idem Eugenius.

Dilecto Filio Alberto de Sartiano Ordinis Mi-  
norum Vicario Generali salutem &c. Ordo tuus  
&c. dat. Florentiæ 1442. 15. Kal. Augusti. Eu-  
genius IV. Omnia apud Wading.

Dilecto Filio Joanni à Capistrano Ordinis Fra-  
trum Minorum Professori salutem &c. Regiminis  
universalis Ecclesie &c. dat. Romæ pridie Ka-  
lend. Novembri. Eugenius IV.

Dilecto Filio Matthæo de Regio Ordinis Fra-  
trum Minorum Professori &c. Licet ex omnibus  
&c. dat. Fabriani 1449. pridie Kal. Septembri.  
Nicolaus V.

Dilecto Filio Joanni de Capistrano Ordinis  
Fratrum Minorum Professori, Hæreticæ pra-  
vitatis inquisitori &c. Apostolica sedis &c. dat.  
Romæ 1447. 5to nonas Julii. Nicolaus V.

Dilecto Filio F. Jacobo de Marchia Ordinis  
Minorum Professori &c. Quia dilecti Filii &c.  
dat. Romæ die 8. Decembris 1449.

Dilecto Filio Gabrieli de Verona Fratrum Mi-  
norum Professori, & Hæreticæ pravitatis inqui-  
sito-

sitori &c. Apostolica sedis &c. dat. Romæ 1460.

Pius II. Pontif. sui ann. 3.

Dilectis Filiis Jacobo de Marchia, & Ludovicō de Vincentia *Ordinis Minorum* Professoribus &c. Superioribus diebus &c. dat. Romæ die ultimâ Aprilis 1472. Sixtus IV.

Num. 25. Brevitatis causâ omitto hic quamplurimos titulos Epistolarum Cardinalium, & Episcoporum ad Fratres de Observantia sub inscriptione Fratrum Minorum simpliciter data-  
rum; finiendo per illud, quod Bonifinius, amplissimus & antiquus Historicus, qui lib. 4, de Beatis (modò Canonizatis) Joanne de Capistrano, & Jacobo de Marchia, Regularis Observantiae Luminaribus & Corophæis sic ait: *Erat eâ tempestate Buda Jacobus vir Santissimus ex agro Asculano natus, qui propagandi D. Francisci Ordinis gratiâ ex Italia in Pannonias cum B. Joanne Capistrano pari Sanctitate prædicto &c.* Capistranus autem, & Jacobus teste Pio II. ceterisque consentientibus, non Ordinem S. Francisci Conventualium (Capucini nondum erant) sed Observantium propagare stude-  
bant.

Num. 26. Ex quibus omnibus patet, Corpus *Ordinis Minorum*, quod Leo X. (exclusis, & in aliud Corpus separatis membris relaxatis) ex fragulis tunc temporis Minoritani Ordinis Reformationibus adunavit, quódque *Or- dinem Minorum*, vel simpliciter, vel cum ad-  
dito;

dito : *Regularis Observantia* dici voluit, & præcepit, esse illum Ordinem, cuius Hierarchicè & Corporaliter sumpti S. Franciscus, ne-dum traditione Regulæ Author fuit, sed etiam cui quā primus Generalis præfuit; quémque in sua Regula voluit esse Monarchicum, & ad imitationem Visibilis Christi Ecclesiaz, sub unico Capite unum, juxta illud Regulæ Cap. 8. *Fratres unum de fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum, & servum totius Fraternitatis; & ei teneantur firmiter obediare. Quo decadente electio Successoris fiat &c.* Si in nunc ex liquida declaratione Leonis X. Corpus Observantinum hanc Fraternitatem, sub unico Capite S. Francisci successore constituat: si non velit à me dici, dicat ipsem R. P. Hierotheus, dicátque M. Verinus, & quicunque alius, à quonam tandem primi PP. Capucini, natāque ex illis Sacra Capucinorum Religio sese separaverit; dum (ut ipsi fatentur, & prout instrumentum emancipationis ad oculum probat) Corpus Observantinum unà cum suo Capite, & declarato S. Francisci successore legali, sublatâ omni dependentiâ deseruerunt. Quid quæsto possunt sibi ipsis post talem separationem attribuere, nisi, quod ego ipsis ultro concedo, scilicet, quod sint, & maneant adhuc de Ordine Minorum generice, & in tota sua latitudine sumpto, seu prout respicit eandem Regulari, eandem Regulæ professionem,

&amp;

& professionis Observantiam, eundemque Regulæ conditorem S. Franciscum, cuius proinde cum omnibus aliis legitimi sunt Filii, eodem de semine regularis Observantiae procreati, verique Fratres Minores, quos Spiritus Observantiae genuit in senectute sua, cisque fecit tunicam Polymitam &c.

Num. 27. Imò (ut in Dialogo continuato satis protestatus fui) ipsi cum eodem merito obediunt suo Generali, quem ex Privilegio Pontificio, & per legitimam exemptionem ab obligatione formalis præcepti Regulæ supra allegati, independentem habent; quam Observantes obediunt suo: si enim ad Christi Vicarium pertinebat, Regulam S. Francisci primi tuis confirmare, quis protervus negaverit, illum eundem posse illius Professores, nedum ab uno, sed & à pluribus præceptis eximere: Imò posse eodem modo ipsos PP. Capucinos in plures sine dependentia Ordines subdividere. Quod autem PP. Observantes (qui etiam propriea unà cum Cardinali Vitellio supra inter Persecutores Ordinis Capucinici numerantur) hanc conati fuerint divisionem avertere, prætenderintque Reformationes intrà, & non extra Ordinem suum instituendas, prout Leo X. expressè præceperat, videtur ipsis ignoscendum, ex eo, quod parentes magis diligent Filios, quam diligentur ab ipsis. Unde Aristoteles 7. Eth. cap. 3. inquit: *Parentes diligunt Filios*

*Filios tanquam sui ipsorum aliquid existentes. Et in opere Magnor. Moral. lib. 2. cap. 78. Propter quod magis Pater Filium amat, quam Filius Parrem.* Imò veluti naturale est, quòd anima in sui Corporis universitate avida sit, & tenax unitatis, quæ proinde anima nec libenter, nec indifferenter intenditur in eam passionem Corporis sui, per quam ejus unitatem, atque integritatem labefactari, molestè accipit. De facto interim omnia cedunt ad gloriam Dei.

Num. 28. Reverà professio Capucinorum, uti suprà satís innuimus, est originaria. Et sicut Observantes integratam Regulæ S. Francisci à tempore, quo condita est, non deseruerunt, ità suo modo PP. Capucini sese ad primordia Regulæ reducunt: quatenus quidam ex Observantibus eorum Reformationi initia dederunt, quorum equidem primus ad suos rediit, relictis illis, qui illum suum fatorem agnoscunt: Ast puto per hoc non interrumpi, minùsque ab Observantino Corpore auferri, aut quoquo modo vel in suo cursu turbari hierarchiam illam Minoriticam à parte ante, & à parte post in Observantibus subsistentem. Nam ad veram & continuam hierarchiam videtur, quòd non sufficiat continuatio antiquæ professionis, præsertim extrà antiquum, & intrà novum Corpus, realiter & hierarchicè separatum. Nec sufficit successio personarum privatarum in Observantia Regulæ, qualiter Capucinorum novam,

novam , separatamque hierarchiam fundantes  
fuerunt personæ privatæ inter Observantes ;  
neque talismodi successio discreta & interrupta,  
est successio Ordinis asserenda. Unde Paulus V.  
declaravit , Capucinos verè esse Fratres Mino-  
res ab Observantia Regulæ Minoritanæ ; non  
autem à successione propriè dicta , subdit enim :  
*Quamvis tempore S. Francisci minimè fuerint in-  
stituti , scilicet in Corpus Ordinis.*

Num. 29. Interim non est , quod M. Verius  
nus q. 1. dicat , Paulinam hanc esse correctant  
per aliam Urbani VIII. quæ incipit : *Salvato-  
ris &c.* præterquam enim , quod Urbanus  
non insinuat , se Paulinam corrigere , nulla ap-  
paret inter binas Bullas contradicatio , nisi de  
facili reconcilianda ; quod proinde etiam fieri  
oportet , ne Pontifex , etiam in tali materia di-  
catur stare contra Pontificem. Et ecce ! hic  
est tenor Bullæ Urbani VIII. de anno 1627. die  
8. Junii : „ Nos æquum , & rationi consonum  
„ fore censentes , ut , qui verbo & exemplo  
„ veros sese B. Francisci imitatores ostendunt ,  
„ tales etiam ab omnibus absque ulla contro-  
„ versia habeantur : attentiùsque considerantes  
„ eorundem Fratrum Capucinorum originem ,  
„ seu principium esse realiter & cum effectu  
„ comparandum à tempore primævæ , & ori-  
„ ginalis institutionis Regulæ Seraphicæ , cu-  
„ jus Observantiam ipsi Fratres Capucini sem-  
„ per , sine aliqua interruptione continuâ-

*et ruit*

, runt &c. Hâc nostrâ perpetuâ valitûrā con-  
,, stitutione , Fratres Capucinos præfatos,  
,, fuissè, & esse ex vera & nunquam interrupta  
,, linea, veros & indubitatos Fratres Ordinis  
,, S. Francisci, & illius Regulæ observatores &c.  
,, sicque ab omnibus , & singulis censeri, &  
,, judicari debere decernimus , & declara-  
,, mus.

**N**um. 30. Ex hoc decreto eos amplectimur, ut veros Fratres nostros. Sed cùm expressum motivum hujus decreti sit imitatio S. Francisci [qui ad promissum sibi in monte Palumbo cœlitùs factum , nunquam veris suî imitatoribus caruit) hæc eorum , saltē hierarchica successio non videtur esse, nisi ab imitatione. Quod enim subdit Pontifex de origine reali, & cum effectu à tempore primævæ institutionis Regulæ: videtur distinguere originem realem per imitationem efficacem , ab origine & propagatione personali , præsertim hierarchica , de quo intelligendus venit Paulus V. , scilicet, quòd ipsorum hierarchia tempore S. Francisci minimè inceperit. Nec obstat , quod sequitur: *Cujus Observantiam ipsi Capucini semper sine aliqua interruptione continuârunt* , quod planè verum patet , quatenus privati Observantes nedum recenti Capucinorum separata hierarchia initia dederunt , sed etiam originariam Professionis Formam , quam apud Observantes emiserant , contingandam dederunt ; quod ab  
unde

unde sufficit ad sensum hujus decreti, & ad consensum cum declaratione Pauli V.; utinam etiam sufficeret disputare primò incipientibus.

**N**um. 31. Constat saltèm, Capucinos (quantumcunque intelligantur Observantibus imbibiti) ab initio non fuisse sub suis symbolis, quibus ab Observantibus specialiter distinguuntur. De associandis etenim Fidelium exequiis, & de Cantu Gregoriano in Divinis laudibus Observando, habemus in Ordinis Chronicis authentica exempla, & constitutiones inluper in primis Capitulis Generalibus editas, quas omnes, sicut adducere non vacat voluntariè, sic nec præfata, aliisque hujusmodi RR. PP. Capucinis non competere, patet evidenter. Signanter S. Antonius Paduanus, B. Francisco, etiam in Ordine contemporaneus, ad secundum, ut legitur, locum replicatus cantavit in Choro *Alleluja*. Et S. Bonaventura in suo *Speculo Disciplinae* (sit pro solis Novitiis, sit & pro professis) part. I. cap. 29. monet, quod, si Fratres properer evitandum discursum ad librum non duxerint accedendum, nihilominus tamen communia, que uoverint, poserunt cum aliis honestè sine minima vocis exaltatione cantare, ad Canticandum autem aliquid separatim, sicut est *Alleluja*, *Responsum*, vel aliud quodlibet &c. Item eadem parte cap. 15. præscribit varia circa modum legendi, & cantandi, & subdit: *In cantu considerari potest, ut si quis punctos in nota nunc di-*

Q

minuens,

minuens, nunc pro suo libertate addens, malicieriter  
frangat, aut in falserum extollat... nunquam in  
Choro Cateris altius cantent, sed communem  
psallentium vocem teneant. Ridiculion etiam, si  
aliori cateris voce quis cantans, post dictiem, vel  
Syllabam, ab illa vocis altitudine recidens, vel  
eam per interpolationes resumens, non continuat,  
quod incepit. Et parte 2. cap. 1. ait idem  
Sanctus, prout apparet, in notis ipso usu ver-  
satus: Non pigri, non somnolenti, non parcen-  
tes vocibus, non praescindentes verba dimidia, non  
integra transfluentes: non fradis & remissis vocis-  
bus muliebre quiddam balba de nare sonantes, sed  
virili, ut dignum est, sonu, & affectu voces 3.  
Spiritus depromentes &c.

Num. 32. Prædicta concordant etiam cum  
antiquis statutis & ipsa mente S. Patris. In  
Historia legali omnium Capitulorum Genera-  
lium pag. 28. sic legis: Anno 1269. in Capitu-  
lo Generali celebrato Assisi, Dux Bonaventura  
Minister Generalis Ordinis statuit, imo: ut  
Missa solemniter cantaretur quolibet Sabbatho in  
honorem B. V. M., sicut S. Pater Franciscus  
anno 1219. constituerat. Et cum in Regula præ-  
scribatur: faciant Officium secundum Ordinem  
S. Romana Ecclesia, pro manutententia hujus  
præcepti F. Joannes Parens Min. Gen. D. Bona-  
venturæ prædecessor in Capitulo Metis cele-  
brato: prohibuit in Choro cantari, quidquid in  
ordinario S. Matris Ecclesia (quod ex Regula ba-  
hemus)

bemus) non continetur, vel per Generale Capitulum non est approbatum: exceptis quibusdam Antiponis B. Mariae post Completorium decantandis... Nonnullos etiam Fratres sub quadam devotionis imagine singulares secularium, & aliorum Religiosorum tonos & modos sectantes, necessarium ex vota Officium variantes punivit. Asserebat enim. Quod contra Regulam nemo est deeus: & sic agens, non supererogare, sed derogare potius est dicendus; & quod non parum virium est, legum turbare Communium disciplinam: quodque sicut infirmi utilibus noxia, sic superstitioni necessariis nociva praponunt, quasi Sanctis Officiis ordinationibus sanctiores, falso devotionis zelo, existerent. Ibidem etiam legis ad annum 1304. inter alia sic Capitulariter Ordinatum: quod cancus fractos, & dissolutos, vel à nota Ordinis discrepantes, studiosè à Provinciis suis exterminent. Sic itaque ab initio Ordinis servatum fuit, aut saltē servari debuit Officium divinum. Equidem Sancta Ecclesia habet in illis disponere, habet & mutare: Omnia de Deo, & pro Deo. Patet saltē, quod Observantes non sint alieni à more Ordinis primævi; quidquid prætendant alii primævi Ordinis formam sese quasi emotuam resuscitasse. Interim, sicut Ecclesia Sponsa Christi, ita & in sua amplitudine considerata Religio S. Francisci est circumamicta varietate, ut modis omnibus laudetur ille, qui est laudabilis, gloriosus, & benedictus in sæcula.